

Irregularis distributiones recipit vel amittit, ut de fructibus dictum est cap. XXVIII, § 10, n. VII ad 11.

Depositus, degradatus, vel privatus canonicatu amittit distributiones quotidianas; si autem injuste depositus, degradatus aut privatus fuerit, atque absolutus, et in statum pristinum restitutus, recuperat beneficium et distributiones (1).

13° Non interessentes choro, eo quod ecclesia absque eorum culpa sit interdicta, polluta, vel derepente diruta, non privantur distributionibus (2) : secus autem est in cessatione divinorum officiorum; tunc enim non dantes causam, etiam privantur distributionibus, quas tamen cum interesse ii qui causam dederunt, aliis restituere debent (3).

IV. Tertia causa quæ absentibus distributiones attribuit, est *evidens ecclesie utilitas*.

*Evidens* requiritur utilitas, nam occulta, non revelanda, ficta aut simulata non sufficit (4).

*Ecclesie* utilitas, hoc est propriæ seu illius ecclesie in specie, cujus distributiones percipiuntur; non autem alterius seu alienæ ecclesie, nam si agatur de utilitate alterius ecclesie, certum est, et ab omnibus admissum, absentiam non excusari (5); neque diocesis, neque etiam ecclesie universalis; ita ut canonicus absens ex causa utilitatis religionis, et ecclesie etiam universalis, non autem propriæ ecclesie commodum respiciente, quotidianas distributiones de jure non lucretur (6); sicut distributiones non debentur canonicis existentibus in servitio Papæ, licet Ecclesie universali servire censeantur; neque duobus canonicis existentibus in servitio Episcopi, etsi toti diocesi inservire æstimentur (7). Quapropter canonici occupati in servitio Summi Pontificis aut Episcopi loci ordinarii opus habent indulto speciali, ad distributiones tempore absentie legitime percipiendas (8).

(1) Barbosa de canonicis, cap. XXII, n. 12 et 13; cap. XXIV, n. 48 et 49; Moneta p. 2, q. XVI.

(2) Scarfantonus lib. 2, tit. IX, n. 40; Barbosa de canonicis, cap. XXIV, n. 47 et 48; S. Alph. de Ligorio lib. 4, theol. mor. n. 130.

(3) S. Alph. de Ligorio loco cit. et Barbosa de canonicis, cap. XXII, n. 11, et cap. XXIV, n. 50; Moneta p. 2, q. XVI.

(4) Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 198.

(5) Scarfantonus lib. 2, tit. IX, n. 44; S. Alph. de Ligorio lib. 4, n. 130, III.

(6) S. C. C. 1 Aug. 1739, *Colon*. § 3, apud Zamboni tom. 4, *Canonici*, § III.

(7) Fagnanus in 1, p. III, Decretal. de præbendis cap. *Licet*, n. 160; Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 200.

(8) Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 281, n. 73; Acta S. Sedis, vol. V, fol. 139.

Per utilitatem tamen ecclesie intelligitur etiam utilitas capituli, sicut aperte dicit Benedictus XIV (1) : *Nos affirmamus tribuendas esse distributiones illi canonico, qui ob utilitatem capituli sive ecclesie chorum dimiserit*; non tamen intelligitur utilitas alicujus confraternitatis in ecclesia erectæ, tum quia confraternitates sunt collegia per se stantia, et cum ecclesia connexionem non habent, tum quia administratores extra tempus officii regimini confraternitatum vacare possunt (2).

*Ecclesie utilitas*, modo hæc sit gravis judicio Episcopi vel capituli (3).

Absentibus ex evidenti ecclesie utilitate in VI Decretal lib. III, tit. III, c. *Consuetudinem* distributiones adscribuntur, et contra in VI, lib. I, tit. VI, cap. XXX, *cum non deceat*, fructus beneficiorum conceduntur, quotidianis distributionibus exceptis. Canonum interpretes maxime laborant, ut hæc duo repugnantia simul jungant (4); sed omissis cæteris, nos affirmamus, ait Benedictus XIV (5), tribuendas esse distributiones illi canonico, qui ob utilitatem capituli sive ecclesie chorum dimiserit.

1° Ex hac causa utilitatis ecclesie distributiones percipiunt absentes pro prosequenda lite (6), modo litis prosecutio æque bene per procuratorem fieri nequeat (7), accesserit licentia Episcopi (8), et negotium sit grave ac commune capitulo (9). Si canonicus absit ex causa litis præbendæ suæ, distinguere oportet : nam aut lis est super juribus beneficii, præbendæ vel dignitatis, et in hoc casu, quia agitur de utilitate ecclesie, lucratur distributiones; aut lis est super titulo, et in hoc casu, quia non agitur de utilitate ecclesie, sed de proprio commodo, distributiones amittit (10).

(1) Inst. 107, § IX.

(2) Decision. S. Rotæ 22 Januarii 1703 in 1 part. apud Scarfantonus n. 49.

(3) S. Alph. de Ligorio, theol. mor. lib. 4, n. 130, III.

(4) Fagnanus loco cit. n. 159; Reiffenstuel loco cit. n. 205; Schmitz lib. III, tit. IV ad finem; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 281, n. 72.

(5) Inst. 107, § IX.

(6) S. C. C. 6 Dec. 1738, *Trajana* dub. 3. apud Zamboni *Canonici*, § III, n. 197; Scarfantonus lib. 2, tit. X, animadv. 10.

(7) S. C. C. 15 Maji 1723, *Monast.* apud Zamboni tom. IV, *Canonici*, § III.

(8) S. C. C. 3 Julii 1677, *Cavallicen.* apud Zamboni *Canonici*, § III, n. 78; Barbosa de canonicis cap. XXIV, n. 25 et 26, qui tamen ipse censet, licentiam Episcopi non requiri.

(9) Scarfantonus lib. 2, tit. XI, animadv. 2.

(10) Scarfantonus lib. IV, tit. XIII, animadv. 38 et 39; S. C. C. 28 Januarii 1736, *Imol.* § 5, apud Zamboni tom. 4, *Canonici*, § III; Barbosa loco cit.

2° Distributiones percipit canonicus, qui a capitulo mittitur pro aliquo servitio ipsius ecclesiae seu capituli; qui mittitur ad Pontificem aut principem, tanquam legatus pro agendis negotiis capituli; qui abest ob aliquam necessitatem vel causam ipsi ecclesiae utilem (1).

3° Percipiunt distributiones canonici qui absunt causa administrationis rerum temporalium ecclesiae. Sic eas lucratur, qui absunt a choro ad expendendas rationes massae capitularis, per tempus ab Episcopo praefiniendum: qui vacant administrationi rerum capitularium pro diebus et horis, quibus huic incumbunt administrationi (2); qui occupantur in computatione reddituum et sumptuum ecclesiae (3); eas autem non lucratur cancellarius capituli, pro negotiis capitularibus in archivio detentus, nisi in casu urgentiae, neque administrator mensae episcopalis (4).

4° Canonicus theologalis lucratur distributiones integra die, qua lectionem habet, etsi officio non intersit, ut dictum est cap. IX, § 1, n. XIII.

5° Canonicus poenitentiarius, dum in ecclesiae cathedrali confessiones audit, interim praesens in choro censetur, et distributiones lucratur, ut dictum est cap. IX, § 2, n. VIII; sicut eas etiam lucratur canonicus in locum poenitentiarum ad audiendas confessiones ex necessitate et ex legitima causa ab Episcopo deputatus (5).

Alii autem canonici tempore divini officii confessiones audientes, praesentes non censentur ad effectum lucrandi distributiones (6), non obstante consuetudine contraria (7); nisi aliquis canonicus ex officio vel de expresso Episcopi mandato, in casu necessitatis con-

(1) S. C. C. in *Tudertina* 1573, dub. 3, apud Zamboni *Canonici*, § III, n. 5; Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 179 et 204; Barbosa de canonicis, cap. XXIII, n. 17, cap. XXIV, n. 9, 19-23; S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 130 in fine; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 281, n. 74.

(2) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* 5 et 10, apud Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. III, n. XX; Scarfantonus lib. 2, tit. X, n. 30-32, et tit. XII, animadv. 15.

(3) Barbosa de canonicis, cap. XXIII, n. 12.

(4) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* 10 et 11, loco cit.

(5) S. C. C. in causa Lucana 10 Mart. 1635, lib. 15 decret. p. 175; Bened. XIV, Inst. 107, § IX.

(6) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* 1, apud Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. III, n. XX.

(7) S. C. C. 1 Ap. 1876, II, in Actis S. Sedis, vol. IX, fol. 386.

fessiones audiret (1), vel nisi alii canonici de mandato superioris in magno concursu poenitentiarium adjuvarent (2).

Canonici qui in ecclesiis collegiatis constituuntur confessarii, non habentur pro praesentibus in choro quoad lucrandas distributiones, quia haec a Concilio Tridentino conceduntur tantummodo absentibus poenitentiariis ecclesiarum cathedralium (3), nisi in fundatione aut ex indulto Apostolico ita provisum fuerit (4).

6° Canonicus parochus, qui annexam animarum curam in eadem ecclesia possidet, percipit distributiones, etiamsi choro non intersit, si tempore quo officia celebrantur, confessiones audiat, Sacramenta administret, vel alia ad ipsam curam spectantia exercent (5), ut dictum est cap. IX, § 8, n. VII; etsi sacramenta anticipate administrare, vel eorum administrationem in aliud tempus differre potuerit, dummodo opere peracto, statim ad chorum redeat, et tunc temporis expresse vel tacite a suis parochianis rogatus fuerit ad sacramenta ministranda (6). Idem dicendum est de vicario non tantum perpetuo, sed etiam amovibili (7).

Canonicus autem qui unitam obtinet parochiam, sed extra civitatem, sedem in parochia tenere debet, et pro tempore, quo resederit in parochia ac ministraverit, tanquam in choro praesens habetur (8), ita ut praebendae quidem fructus, non vero distributiones consequatur (9). Item distributiones nec ab iis lucriferi possunt, qui parochialem obtinent ex dispensatione Apostolica, ut decrevit S. Pius V, in Const. *Cupientes* 65, § 1 (10).

7° Canonicus jubilatus, absens percipit distributiones, ac si in choro praesens esset, ut dictum cap. XI, § 3, n. VII.

(1) S. R. C. 14 Junii 1608, *Fulginaten.*

(2) S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 131. Vid. Pallottini *Canonici*, § VII, n. 250-267.

(3) Scarfantonus lib. 2, tit. X, n. 7.

(4) Acta S. Sedis 1880, vol. XIII, fol. 167-173; Pallottini, *Distributiones*, n. 302 et seq.

(5) S. C. C. in causa *Mediolanen.* 13 Feb. 1639; 23 Aug. 1879, in Actis S. Sedis, vol. XIII, fol. 102; 28 Jan. 1882 et 8 Jun. 1889, ibid. vol. XV, fol. 104 et vol. XXII, fol. 279; Benedictus XIV, Inst. 107, § IX; Barbosa de canonicis, cap. XXIV, n. 11.

(6) Scarfantonus lib. 2, tit. X, n. 11.

(7) Pallottini *Distributiones*, n. 353 et seq.

(8) Conc. Trid. sess. XXII, cap. III de reform.

(9) Ita Benedictus XIV loco cit. Barbosa ibidem n. 12.

(10) Vid. S. C. C. 2 Junii 1731, § 7, in *Aquil.* apud Zamboni tom. IV, *Canonici*, § III. Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 283, n. 78-80.

8° Canonici assistentes Episcopo pontificaliter celebranti in cathedrali aut aliis civitatis locis ejusque suburbiis, sive inservientes ipsi assistenti cum pluviali et mitra aut cum cappa magna, lucrantur distributiones, quia in hujusmodi circumstantiis canonici assistentes et inservientes Episcopo, necessariam munus adimplent juxta præscriptum Tridentinum (1). Inservientes autem Episcopo non pontificaliter celebranti, neque cum pluviali aut cappa magna assistenti, sed missam privatam celebranti, tempore quo officia divina peraguntur, distributiones amittunt (2), etiamsi Episcopus in eadem ecclesia celebret (3).

9° Magistri cæremoniarum, etiamsi non habitu choralis, sed sicut per Cæremoniale Episcoporum lib. 1, cap. V præscribitur, induti sint (4), gaudent distributionibus quotidianis, dummodo in ecclesia cathedrali munus exerceant (5).

10° Sacrista lucratur distributiones pro tempore, quo abest a choro, causa servitii ecclesiæ et sacristiæ; nemo enim ad duas incompatibiles actiones obligatur (6).

11° Organista et concinentes cum musicis, distributiones acquirunt, perinde ac choro interessent, dummodo ob id stipendium non accipiant; si autem stipendium recipiant, distributionibus carent (7).

12° Canonici nomine capituli interessentes Concilio generali, provinciali aut diocesanæ distributiones recipiunt (8).

13° Canonici missi ab Episcopis, eorumque nomine accedentes ad limina Apostolorum, vel comitantes ipsos Episcopos ad eadem limina, distributiones lucrantur ex decreto Sixti V, tempore

(1) S. C. C. 20 Nov. 1616, in *Januen.* lib. 11 Decretal. fol. 185, aliaque in Actis S. Sedis vol. X, fol. 243; 20 Dec. 1862, *Tranen.* III apud Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. III, n. XX, fol. 191 et 193.

(2) S. C. C. in una Pisarum 25 Januarii 1625, lib. 12 decr. p. 253, apud Bened. XIV, Inst. 107, § IX; Lucius Ferraris, *Distributiones* art. 2, n. 5.

(3) S. C. C. 17 Maji 1704 in *Arianen.* dub. 2, apud Zamboni *Canonici*, § X, n. 29.

(4) S. R. C. 10 Ap. 1876, *Capuana*, dub. II.

(5) S. C. C. in *Ravenn.* 1 Aug. 1739, § 2, apud Zamboni tom. 4, *Distributiones* § III; in *Pisana* 27 Julii 1839 ad VIII et IX.

(6) Scarfantonus lib. 2, tit. X, n. 28 et 29.

(7) S. C. C. 11 Julii 1651, *Adjacen.* dub. 4; 18 Nov. 1659, S. Severini; 6 Maji 1741, Nullius, *Putignani*, dub. 4, apud Zamboni *Canonici*, § III, n. 67, 203, et § X, n. 22; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 291, n. 96.

(8) Scarfantonus lib. 2, tit. XI, animadv. 8; Barbosa de canonicis cap. XXIV, n. 8 et 10; Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 201.

accessus, mansionis et regressus, quod tempus S. C. Congregatio constituit esse trium mensium (1).

V. Præfatis tribus juris causis, quæ absentibus distributiones attribuunt, addi debet privilegium vel indultum pontificium (2).

Episcopus neminem a choro excusare et eximere potest, cum jure percipiendi distributiones, nisi intra dispositionem juris in VI Decretalium lib. III, tit. III, cap. unic. *Consuetudinem*. Privilegium autem a Summo Pontifice concessum idem operatur, ac si canonicus vere resideret. Notandum vero est, ut exinde fructus et distributiones percipiantur, in indulto non tantum fructuum, sed etiam distributionum mentionem fieri debere, cum nomine fructuum non intelligantur distributiones a corpore separatæ: et 2° tale indultum, tanquam cedens in diminutionem cultus divini et juri communi derogans, salva verborum proprietate, stricte interpretandum esse (3).

1° Sic auditores Rotæ Romanæ percipiunt fructus et distributiones in absentia, ac si officio actualiter interessent ex concessione Clem. VII; item ministri sacri officii, inquisitores hæreticæ pravitatis, consultores, etc. ministri cameræ Apostolicæ, collector generalis, subcollectores, advocati, etc. aliique similes. choro absentes, spectato jure communi, distributiones non lucrantur, sed per specialia indulta Apostolica, quæ iis concedi solent (4).

2° « Sanctitas sua declaravit ac definivit per modum regulæ:  
 » Dignitatibus omnibus et canonicis ubique locorum qui construenda in posterum Apostolica vel Ordinaria auctoritate tabulis in  
 » Servorum Dei ac Beatorum causis operam dabunt, licet e choro  
 » absentibus ea de causa, nedum quotidianas distributiones deberi  
 » juxta taxam S. Mem. Benedicti XIV, verum etiam alias omnes  
 » quocumque jure, titulo et nomine, et quibusvis sub clausulis  
 » personale servitium exquirentes: indultum autem, atque exemp-

(1) 1 Oct. 1672 in *Pennen.* lib. 27 Decr. p. 512; Bened. XIV, Inst. 107, § IX; Garcias de beneficiis p. III, c. II, n. 349; S. Alph. de Ligorio, theol. mor. lib. 4, n. 130 in fine; Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 213.

(2) Pallottini *Distributiones* n. 289 et seq.

(3) Barbosa de canonicis, cap. XXIV, n. 13; Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 210; Schmitz, lib. III, tit. IV, in fine; Bockhn lib. III, cap. IV, n. 49; Moneta p. 2, q. XIV.

(4) Benedictus XIV, Inst. 107, § X; Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 211-214; Barbosa de canonicis, cap. XXIV, n. 2 et 3; Giraldis Expositio jur. Pontif. p. 1, sect. 358.

» tionem hujusmodi iis dumtaxat diebus locum habere voluit, in  
 » quibus conficiendis et adornandis inquisitionibus incumbent.  
 » Atque ita decrevit, statuit, atque in posterum servari mandavit,  
 » contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Dec. 1817 (1). »  
 Porro « Ad tollendam quamvis ambiguitatem circa sensum De-  
 » cretorum SS. Pontificum Benedicti XIV et Pii V, ... SS. D. N. Leo  
 » Papa XIII declarare dignatus est ac statuere, ut Dignitates seu  
 » Canonici, qui inserviunt processibus tum Ordinariis, tum Apos-  
 » tolicis, habeantur tanquam præsentes in choro, mutato officio;  
 » et ideo omnia percipiant emolumenta, etiam eventualia. Con-  
 » trariis non obstantibus quibuscumque. Die 27 Februarii 1887 (2). »

3<sup>o</sup> Clemens XI in epistola Encyclica ad universos Italiae insularumque adjacentium Ordinarios 1 Februarii 1710 conscripta, canonicos, beneficiatos aliosque personali residentia obstrictos et chori servitio mancipatos, qui exercitia spiritualia, saltem semel in anno, per decem dies, peregerint in domibus religiosorum Societatis Jesu seu presbyterorum congregationis missionis, si adsint, sin minus in alia pia seu regulari domo ab ipsis Ordinariis ad id designanda et approbanda, lucrari decernit integros fructus, et quotidianas suorum respective canonicatum et beneficiorum distributiones quascumque, perinde ac si choro divinisque officiis personaliter interessent, dummodo tamen eadem exercitia peragant obtenta prius ab Ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit adventus et quadragesimæ tempore, ac in solemnioribus festivitatibus, nec unquam omnibus simul canonicis, aliisque choro inservientibus, sed eo adhibito modo, ne chori servitium nequaquam intermittatur. 1 Feb. 1710 (3).

Notandum est hanc epistolam, ut ex inscriptione liquet, spectare ad Italiam insulasque adjacentes; nonnullos tamen illam sine ulla restrictione generaliter applicare (4), eamque generaliter saltem applicandam esse, ubicumque statuta vel consuetudo eandem admiserint.

VI. Consuetudo recipiendi distributiones per absentes a non-

(1) Apud Gardellini, Decreta authent. S. R. C. n. 4543; item S. R. C. 27 Aug. 1836, *Florentina*.

(2) Ap. Nouv. Rev. th. t. 19, p. 270.

(3) Apud Lucium Ferrarem *exercitia spiritualia* n. 2.

(4) Soglia, Instit. jur. publ. et priv. opera S. M. Vecchiotti, vol. 2, lib. I, cap. III, § 21, n. 3; Cæremoniale Canonic. Eccl. Torn. tit. II, cap. II, § 11.

nullis (1) admittitur. Cum autem Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XII de reform. statuatur, ut « distributiones, qui horis inter-  
 » fuerint recipiant; reliqui, quavis collusionem aut remissione  
 » exclusam, his careant, juxta Bonifacii VIII decretum, quod incipit  
 » *Consuetudinem*, quod sancta synodus in usum revocat, non  
 » obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus » : concludendum est absolute (2), consuetudinem percipiendi in absentia quotidianas distributiones nullam prorsus atque irritam esse ex Constitutione Bonifacii VIII, quæ incipit *Consuetudinem*, et a Concilio Tridentino innovata. Imo hoc procedit, etiamsi consuetudo sit immemorabilis : nam cum Constitutio Bonifacii VIII non simpliciter tollat consuetudinem, sed eam improbet *Improbantes*, per hoc censetur sustulisse etiam illam, cujus initii non est memoria. Unde reprobat contraria quæcumque consuetudo, non solum quæ præcedit, sed etiam potiori jure ea quæ induceretur (3). Ratio est, non tantum quia ista consuetudo adversatur Concilio Tridentino, sed etiam quia Constitutio Bonifacii VIII non solum simpliciter derogat consuetudini recipiendi distributiones in absentia; sed etiam ipsi resistit, eamque reprobat ut iniquam et irrationabilem : prout liquet ex illis verbis : *Consuetudinem quæ in quibusdam partibus inolevit etc., penitus improbat*. Atqui ubi jus resistit consuetudini, eamque penitus improbat, nempe ut irrationabilem et iniquam, censetur sublata consuetudo, non tantum præterita, verum et futura, imo et immemorialis (4). Quapropter Sacra Congregatio Concilii constanter decrevit, distributiones, non obstante consuetudine, absentibus non deberi; consuetudinem easdem dandi absentibus, non sustineri, neque tolerandam esse (5). Unde Acta Sanctæ Sedis (6) concludunt, legem Bonifacii VIII et Concilii Tridentini tanti esse roboris, ut nulla inveni possit contraria consuetudo, etiamsi accederet jurata capitularis consuetudo, et quamvis Episcopali auctoritate roborata foret.

(1) Barbosa de canonicis, cap. XXI, n. 22 et cap. XXIII; Bockn lib. III Decretal. tit. IV, n. 53; Moneta p. 2, q. XII.

(2) Ita Fagnanus in l. p. I Decretal. de Constit. c. *Cum omnes*, n. 34; Garcias de benef. p. 3, cap. 2, n. 430; Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 172; Lucius Ferraris, *Distributiones* art. 2, n. 1.

(3) Acta S. Sedis vol. II, fol. 218 in fine, vol. XIII, fol. 215-220.

(4) Ita Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 173.

(5) 28 Jul. 1866; 20 Junii 1874; 19 Maji 1877. Vid. Acta S. Sedis vol. II, fol. 218-221; vol. VIII, fol. 85-94; vol. X, fol. 240-245; vol. XII, fol. 353-360.

(6) Vol. VIII, fol. 94.

Consuetudo tamen efficere potest, quod quotidianæ distributiones debeantur absentibus in casibus, de quibus in jure dubium est, an illæ absentibus debeantur necne. Tunc enim consuetudo easdem concedens, valida censetur, jurisque ambiguitatem interpretari et declarare potest : quia in talibus casibus nihil novum aut juri aperte contrarium inducitur, sed solummodo casus in jure dubii longævo usu declarantur (1).

§ 9. *Casus in quibus absentes distributiones non percipiunt.*

1. Juxta sanctiones juris canonici et laudabilem S. C. C. stylum nullus a choro absens ratione muneris sibi commissi, quotidianas distributiones lucratur, ubi pro dicto munere aliquod percipit stipendium (2).

2. Vicarius capitularis, ut dictum est cap. XXIII, § 1, n. III, distributiones non acquirit (3), nisi legitima adsit consuetudo, etsi plures censeant, ipsum easdem percipere posse.

3. Vicarius generalis Episcopi distributiones non assequitur (4). Similiter provicarii generales, cancellarii, secretarii, actuarii, aliaque exercentes munera in curia Episcopali, distributiones non lucrantur (5).

4. Illas non lucrantur canonici, mensæ Episcopalis administrationi vacantes, neque Episcopo assistentes in pertractandis negotiis diocesis, neque ipsum comitantes in diocesis visitatione (6).

5. Duo canonici in servitio Episcopi existentes, licet lucrentur fructus canonicatus, non tamen distributiones quotidianas, ut dictum est cap. XIV, § 1, n. VII (7), nisi ex speciali indulto (8).

(1) Reiffenstuel loco cit. n. 177; Barbosa de canonicis, cap. XXIII, n. 18.

(2) S. C. C. *Raven.* 1 Aug. 1739, § 5, apud Zamboni tom. 4, *beneficiati*, § IV; Moneta, p. 2, q. XI, n. 35.

(3) Moneta, p. 2, q. XI, n. 83.

(4) S. C. C. 17 Dec. 1627 in causa *Bitteti*, lib. 13 decr. p. 267; 9 Maji 1671, in causa *Tanat.* lib. 27 decr. p. 113, apud Bened. XIV, Inst. 107, § X.

(5) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* ad IX, Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. III, fol. 196, n. 17 et 18, fol. 198, IX.

(6) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* IV et X; 19 Maji 1877. Vid. Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 3, n. XX; Acta S. Sedis, vol. X, fol. 240-245.

(7) S. C. C. 4 Junii 1633 *Fesulana*; 13 Januarii 1635, *Aventon.*; 30 Julii 1763, *Venusina* dub. 1 et 2; apud Zamboni *Canonici*, § III, n. 50, 51, 229, 230; Scarfantonus lib. 2, tit. XI, n. 13; Barbosa de canonicis, cap. XXV, n. 5 et 6.

(8) S. C. C. 27 Ap. 1720, *Leodien.* apud Zamboni loco cit. n. 161.

6. Canonici examinatores synodales non lucrantur distributiones quotidianas, quia examen ad libitum fieri potest hora commoda extra tempus, quo in choro assistere tenentur (1).

7. Seminarii rector, administrator, professores et examinatores, a choro absentes, distributiones non lucrantur (2).

8. Vicarii foranei et visitatores distributiones non participant (3).

9. Docentes in scholis publicis scripturam sacram, theologiam, jus canonicum, philosophiam aut grammaticam, sicut etiam addiscentes et studentes, licet fructus lucrentur, distributiones tamen amittunt, ut dictum est cap. XXVIII, § 10, n. IX ad 4 et 5.

10. Peregrinantes seu devotionis causa visitantes ecclesiam Lauretanam aliaque pia hujusmodi loca non possunt lucrari quotidianas distributiones, dum in tali sunt peregrinatione (4).

11. Amittunt distributiones canonici vacantes prædicationis ministerio, non ex cura animarum aut obligatione præbendæ seu canonicatui annexa, sed ob voluntarium aliquod munus aut speciale officium ab ipsis susceptum (5).

12. Missam celebrantes infra officium, distributionibus privantur, nisi adsit jussio vel licentia præfecti chori seu superioris, et simul necessitas sive populi commoditas occurrat (6). In decreto autem S. C. C. 1573 infra citato, Sanctitas insuper superiores admoneri voluit, ut ab hujusmodi jussu abstineant : quod tamen juxta S. Carolum intelligendum est, nisi necessitas aliquando incideret (7).

13. Canonicus qui detinetur in facienda priorum peccatorum confessione, præsens non censetur ad acquirendas distributiones (8).

(1) Ita S. R. C. 17 Mart. 1607, *Lamacen.* 2; S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* VII apud Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 3, n. XX, fol. 195, n. 13, et fol. 198 ad VII; 19 Maji 1877, in Actis S. Sedis, vol. X, fol. 243-245; Bened. XIV, Inst. 107, § X.

(2) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* VIII apud Lucidi loco cit. fol. 195, n. 14, 15, 16.

(3) Scarfantonus lib. 2, tit. XI, n. 16.

(4) S. C. C. 1573 in *Tudertina* dub. 4; Benedictus XIV, Inst. 107, § X; Garcias de benef. p. 3, c. 2, n. 392-395.

(5) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* VI, apud Lucidi loco cit. fol. 194, n. 12, et fol. 198 ad VI.

(6) S. C. C. 1573, lib. 1, Decr. p. 51, apud Bened. XIV, Inst. 107, § X; 20 Dec. 1862, *Tranen.* II, apud Lucidi loco cit. fol. 189, n. 4, et 198; 1 Ap. 1876 ad 1, in Actis S. Sedis, vol. IX, fol. 382-387; Zamboni *Canonici*, § III, n. 1, 33, 42, 49, 86; Pallottini *Canonici*, § VII, n. 210-249.

(7) Apud Bened. XIV, Inst. loco cit.

(8) Scarfantonus lib. 2, tit. X, n. 24-28.